



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

162. Præsentandus ad beneficium sacerdotale, an & quando debeat esse actu sacerdos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

& clarum Rotæ decif. in una Firmiana jurisp. 14. Novemb. 1786. coram Orano. & Gl. in c. ei, cui, de prob. in 6. quam, ut ait Garc. fequuntur omnes, & exprefse Jo. And. num. 1. ubi ait: Licet hæc opinio non modicum rigoris habeat in eo, qui est omnino proximus ætati legitima, nimis tamen præfump-
tuofum esse, hoc aſſertivè dicere, & conditoris esse, non glosatoris, huic æquitati providere. Idem tenet Franch. in cit. c. ei, cui. & ex eo Lott. l. 2. q. 47. num. 18. dum ait, jus commune in hac materia ufque adeo rigorem fervat, ut dum ætatem in promotio exigat, non contentetur, ut is valde proximus fit ætati idoneæ, v. g. etiamfi ante prima Ordinationum tempora completurus eſſet ætatem requifitam.

Quæſtio 162. Præſentandus ad beneficium ſacerdotale, an & quando debeat eſſe actu ſacerdos?

Refpondeo: ſicuti, num beneficium ſacerdotalem Ordinem annexum habeat, nec ne, ita num præſentatus habere debeat tempore præſentationis dictum Ordinem; an verò ſufficiat habere illum habitu, ſeu talis fit præſentatus, ut intra annum ad præſbyteriū promoveri poſſit, pendet ex mente ſeu voluntate fundatoris (vel etiam ſtatuti, ſi exinde requiritur) Corrad. & Lott. paulò poſt citandi. Quæ mens ex verbis fundatoris eſt merienda & colligenda; de quo plura ſub initium primæ partis. Illud hic breviter reperendum, quòd, dum verba fundationis vel ſtatuti reſpiciunt actum præſentationis, v. g. diceretur: præſentetur præſbyter; vel præſentetur ſacerdos, qui miſſas celebret, præſentandus neceſſariò tempore præſentationis debet eſſe ſacerdos, & non ſufficit habere ætatem requifitam ad ſacerdotium. Si verò verba non reſpiciunt actum præſentationis, ſed potiùs proſecutionem illius, v. g. ſi diceretur: præſentetur, qui miſſas celebret; vel etiam: qui miſſas per ſe celebret: vel, quòd obviniens beneficium miſſas dicat: vel, præſentetur, qui miſſas celebrare teneatur: vel ſi ſimpliciter conſtituat fundator, & exprimat beneficium eſſe ſacerdotale; cum hæc omnia ſignificent & reſpiciant proſecutionem ipſius præſentationis, & tempus poſt institutionem, non requiritur, ut fit actu præſbyter; ſed ſufficit, ut talis fit habitu tempore præſentationis, ſeu habeat ætatem, ut poſſit promoveri tunc ad ſacerdotium, hoc eſt, attingit 25. annum, & intra annum fieri ſacerdos; qualitas enim juxta verba intelligitur ſecundùm ſtatutum illius. Corrad. l. 3. c. 7. num. 4. Garc. p. 7. c. 1. num. 79. & ſeq. Lott. l. 2. q. 47. a num. 8. Sed neque in hoc faciendâ eſt diſtinctio inter fundationem laici & Eccleſiaſtici, ita ut ex fundatione laici requiratur tunc actu ſacerdotium; ex fundatione autem Eccleſiaſtici tunc ſufficiat eſſe habitu præſbyterum; eò quòd Eccleſiaſtici cenſentur ſe voluiſſe conformare diſpoſitioni juris canonici, quòd, dum ſimpliciter exigat Ordinem aliquem in promovendo ad beneficium, cenſetur contentari, quòd quis habeat talem Ordinem habitu, ſeu ut habeat ætatem requifitam ad talem Ordinem, eumq; ſuſcipiat, quamprimum poſſit, ut docere videntur Gut. Lamb. Ferret. Azor. p. 2. l. 6. c. 24. q. 3. & 4. apud Garc. n. 82. & apud Lott. num. 15. Barbat. & Rota. Nam ſi in fundatione laici iſta verba importent, quòd requiratur actu ſacerdotium, idem etiam importabunt in fundatione Eccleſiaſtici, & econtrâ; ſi id non impor-

tent in fundatione Eccleſiaſtici, etiam non importabunt in fundatione laici. Garc. loc. cit. num. 83. Lott. loc. cit. num. 16. dicens, dictam diſtinctionem nullo jure aut ratione ſultam eſſe.

*Quæſtio 163. Præſentatio illiterati quando-
nam fit jure ipſo irrita?*

Refpondeo: liquis omnino illeteratus fit, ut literas latinas nequidem legere ſciat, illius, uti electio & proviſio, ita etiam præſentatio ipſo jure irrita eſt. Argumento c. ult. de temp. ord. in 6. quia ut dicitur c. illiteratos. diſt. 38. literis carens ſacris non poteſt eſſe aptus officiis. Laym. in c. cum in cunctis. de elect. §. inferiora num. 10. Si quis tamen legere & ſcribere ſciat, licet non intelligat, ejus præſentatio, uti & facta ei aliàs collatio beneficii, videtur ipſo jure eſſe valida: eſt, ut colligitur ex Trident. ſeſſ. 7. c. 3. & ſeſſ. 24. c. 12. reſcindi debeat. Laym. ibid. num. 11. citans Nav. in c. ſi quando. de reſcript. except. 12. num. 8. ſi tamen beneficium eſt curatum, aut Eccleſiæ Cathedralis, ad quam ita illeteratus promovetur, ipſo jure irrita eſt promotio, Argumento c. cum in cunctis. & c. ult. de ætat. & qualit. Laym. ibid. Porò de literatura requiſita ad beneficia, vide Lott. l. 2. q. 50. & quæ p. 1. dicta ſunt. item dicenda infra de collatione.

Quæſtio 164. Num patronus, dum idoneus eſt, præſentare poſſit ſe ipſum per ſe, vel per alium ad beneficium ſui juris patronatus?

1. Refpondeo ad primum negativè; ita enim expreſſè decifum eſt c. per noſtras. h. t. debet enim eſſe diſtinctio, ut gl. in cit. c. v. præſentare. inter præſentantem & præſentatum, ſicut inter dantem & recipientem, inter baptizantem & baptizatum, Corrad. l. 4. c. 2. num. 12. Caſtrop. cit. p. 7. n. 2. Pirh. h. t. num. 89. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. num. 193. citans quamplurimos cum communi. Proceditque idipſum etiam in beneficiis ſimplicibus; tamenſi enim in cit. c. per noſtras. ſermo fit de perſonatu; eadem tamen ratio, in qua fundatur decifio dicti cap. ne ſcilicet Clerici ſeipſos præſentantes incidant in vitium ambitionis, etiam locum habet in beneficiis ſimplicibus. Jo. And. in cit. c. num. 3. Abb. n. 2. Barb. num. 7. quos citant & ſequuntur Corrad. num. 16. Pirh. num. 90.

2. Poterit nihilominus patronus, quando jam eſſet præſentatus ab alio compatrono (poſſe enim patronos, dum plures ſunt, unum ex ſe ipſis nominare ſeu præſentare, Argumento c. congregato. 16. q. ult. & c. quia propter. & c. ne pro defectu. de elect. ubi permittitur electoribus unum ex ſe deligere, tradit Caſtrop. cit. p. 7. n. 3. citatque gl. in c. conſult. h. t. Lamb. l. 2. p. 19. & 20. Ricc. in pr. reſol. 174. num. 3. Azor. p. 2. l. 6. c. 24. q. 3. Tufch. lit. Pa. concl. 595. Barb.) præſentationi jam de ſe factæ conſentire (quia tum ſe non ingeſſit, neque ambitioſus reputabitur, ſed magis vocatus ab aliis) non quidem dicendo: præſento meipſum; ſed conſentio præſentationi de me factæ: ac proinde debet præcedere aliorum patronorum de eo factæ præſentatio, & ei de hac conſtare, uti ei conſtaret, dum præſentatio facta fuit palam per vota aperta; non autem, quòd illa fiat eodem tempore; ſi enim is unà cum aliis, abſque eo, quòd ſcire poterat, ſe ab aliis præſentatum (ut fieret, dum præſentatio facta per viam ſecreti ſcrutini) adhuc nulla foret præſentatio, & juxta decif. Rotæ in Pergam. Capellaniam coram Burar. to decif. 316. num. 2. locus eſſet diſpoſitioni c. per noſtras;